



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

De Domo Novitiorvm Societatis Iesv Extrvcta Landspergae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

continget, liberè ac quietè ad propagandum Dei cultum vti ac frui possint, idq; in omni casu, ita vti cuncta, & singula juxta institutum Patrum Societatis intelligantur atq; accipiantur, neq; vel Advocacia, vel cuiuscunque alterius prætensi Juris respectu, vel contemplatione, hæc fundatio nostra infringatur, vel etiam institutum venerandæ Societatis vilo pacto minuatur, neq; posteros nostros ac hæredes, neq; ceteros quoscunq; si quid aduersus hanc nostram Fundationem & efficacissimam voluntatem vilo modo molirentur, nec occulta, nec aperta, (quam Deus auertat) violentia excusare possint, nulla etiã prætensa Iura, vel Canonica, vel Ciuilia, Pontificia decreta, dispensationes, indulta, absolutiones, Regalia, Priuilegia, Iurisdictiones, superioritates, immunitates, inhibitiones, exceptiones, Iura publica, siue prouincialia, indemnitates, consuetudines, relaxationes, institutiones, interpretationes, aut quæcunq; tandem humanum ingenium contrà has nostras literas ac Fundationem excogitare potest.

Immò etiam volumus, mandamus, atq; obligamus posteros nostros, vt in omnes eos, qui hanc nostram constitutionem, sanctionem, ac Fundationem, quocunq; modo impugnare, immutare aut corrumpere conati fuerint, seuerissimè animaduertant, & puniant eos omnes, qui Patribus & Collegio huic nostro molestiam exhibere tentauerint: Ipsam autem Societatem Iesu, liberis ac hæredibus & posteris nostris, commendamus affectu planè paterno, hoc est, eo què dignitas & vtilitas instituti huius meretur, & merebitur (vti de Dei benignitate & Societatis disciplina confidimus) à tota posteritate domus atque Prouinciæ Bauariæ.

Et quanquam hæc Societas pro sua modestia, in bonis externis atque corporis, mediocritatis tenax & amantissima est, & solius animarum lucri insatrabilis; tamen optamus, volumus, rogamus, & mandamus iisdem successoribus nostris, vt in defendenda, amanda, fouenda, ornanda Societate, quid *Bauaricam* stirpem ac pietatem deceat, considerent; atque vt nos nobis Serenissimorum, Parentum nostrorum hac in re voluntatem atque exemplum, sic illi sibi hanc nostram fundationem proponant, quam aut imitentur, aut pia æmulatione superare contendant, aut certè, quod sine crimine omitti non potest, in suo vigore, robore ac dignitate æternum conseruent; Ita nos cum Serenissima Coniuge, cæterisque Serenissimis *Bauariæ*, Principibus, atque etiam charissimos liberos nostros, omnemq; nostram & eorum posteritatem, Prouinciãq; & Patriam nostram Deus sospitet, atque in Catholica fide & pietate felices perpetuo faciat & seruet, Sanctusq; *Michael*, cuius memoriæ Templum Collegiumq; nostrum sacrauimus, ab hac vita aliquando exeuntes, in pace suscipiat. Amen. Atque in horum omnium & singulorum, quæ his literis nostris fundauimus, certam & indubitam fidem, iisdem nostra manu subscripsimus, ac nostro Ducali sigillo easdem communiuimus; Actum Monachij die vigesimo sexto Iunij, Anno salutis Millesimo, quingentesimo, nonagesimo septimo.

Guilhelmus.

Maximilianus.

DE DOMO NOVITIORVM SOCIETATIS  
IESV EXTRVCTA LANDSPERGÆ.

CVM Illustris Dominus Comes Schwvickardus de Helfenstain Præfectum, Landspergæ ageret, ab Illustrissimo Duce Alberto impetrauit locum, montem



montem scilicet arci Landspergensi vicinum, in quo sibi liceret, sicut iam pridem in votis habuerat, proprium Societatis Iesv domicilium extruere, præsertim in gratiam Nouitiorum siue Tyronum, ad hoc ipsum vitæ institutum piè adspirantium, qui spiritualis Tyrocinijs sui tempus illuc absoluant, legitimeque probentur. Eo igitur loco, & in hunc finem domus illa est ædificata: primum quidem, dicto Comite sumptus suppetitante, & alijs deinde amicis opitulanti-  
tibus, vt fabrica integra duobus aut tribus annis absolueretur. In eam domum traducti sunt Nouitij, anno M.D.LXXVIII, quum antea quidem in Monachi-  
ensi Collegio incommodè versarentur. Ex eadem domo, quæ nullam adhuc certam dotationem obtinet, Landspergenses suum & ordinarium accipiunt Ecclesiasten.

## ILLMUNSTER

OTTO, frater Alberti & Ottogerionis, fundatorum Tegernsee. Monast. Illm Monasterium, Ilmo flumini contiguum condidit, circa annum Domini 739. Collegium fuit Sacerdotum, qui anno 1495. cum diuo Arsatio Monachium translati sunt, Ioan. Auentin. in Annalibus, fol. 291.

## ADDITIONES.

ILMVS pagus est satis amænus, situs medio fere itinere inter duas primarias Superioris Bauariæ ciuitates. Monachium scilicet, prouinciæ nunc Metropolitim, & Principum sedem, & Ingolstadtum insigni florentique Academia celebre. Quo in loco circa annum Christi saluatoris nostri 745. à nobilissimis Comitibus Ottone, Alberto & Oggario fratribus Monasterium erectum est, eodemque fere tempore ab iisdem aliud quoque magni nominis Cænobium in Degernsee est extructum: In templa vtriusque monasterij reliquiæ Sanctorum tempore præfato Medio lano petiæ, obtentæ & illatæ sunt. Corpus S. Quirini translatum est in Bauariam, in paulo ante nominatū Cænobium Degernsee, vt ex Molano Rimus & Illmus Card<sup>us</sup> Baronius, in notationibus suis ad Martyrologium Romanum die 25. Iunij ostendit, ibi adhuc asseruatur & dignis honoribus colitur. Reliquiæ autē S. Arsatij Episcopi delatæ sunt in monasterium ILM, nunc Ilmunster vocatum, vbi quieuerunt à prima fundatione & translatione à Mediolano, per annos plus minus 749. donec tandem auctoritate summorum Pontificum. procurante piissimæ memoriæ Duce Alberto quarto. Ser<sup>mo</sup> nostri Principis Maximiliani abauo, in magnificentissimum templum Deiparæ virginis Mariae Monachij, anno à Christo nato 1494. cum vniuerso Canonicorum Collegio transferrentur, & iam in altari medio eiusdem templi infra Chorum, in tumba argentea referuatur.

Admodum  
Reueren-  
tiss. Clariss.  
Dn. Geor-  
gij Lau-  
therij S. S.  
Theol. Doct.  
Præpositus  
Monach.  
Canonice  
Cathedral.  
Ecclesiæ  
Sancti  
Iacobi. Se-  
reniss. Boie-  
ricæ Ducum  
Alberti V.  
Guiljelmi  
V. & Maxi-  
miliani Cœ-  
saris  
Siliariæ.  
Vir pietate  
doctrina  
multiplex,  
& cetera in-  
tegritate  
incompara-  
bilis de Il-  
munsteren-  
si Ecclesiæ  
hæreticis  
dit, & ma-  
nu propria  
cognauit.

Monasterium Ilmunstrense ab Hunnis cum multis alijs anno Christi 955. destructum & euersum fuit, simulque publica fere instrumenta oia incendio perierunt. Annales nostri habent, S. Arfacium natum fuisse patre Estoriano, matre Ladina, à S. Ambrosio ad Christianam fidem fuisse conuersum: fratrem habuisse Eustorgium, atque vna cum ipso sanctorum Magorum corpora, & a neum serpente Constantinopoli Mediolanum apportasse, multos circumquaque in vicinia ad fidem Christi traduxisse, plurimis miraculis claruisse, tandemq; S. Simpliciano in Archiepiscopatu successisse, atq; hoc munere paucis tantum mensib. perfundum, ex hac vita abiisse, & in medio monumentorū SS. Episcoporum Martiniani & Auxani, siue Ausani, sepultum esse. Quod quomodo fieri potuerit non videmus, cum